



1. Disputatio de Providentia
2. Disput. de vera dei Invocatione.
3. Themat. (1) de verbo dei (2) de deo ipso.
4. De peccato.
5. De justificatione et bonis operibus.
6. De communicatione idiomatum.
7. De claudibus regni coelorum.
8. De precibus capitibus doctrinae evangelicae.
9. Apologia verae doctrinae de definitione evangelij.
10. De persona Christi, de unione personali in Christo, de unione  
sua communitate: veray presentia corporis et  
sanguinis Christi in cena.
11. De peccato originis.
12. De Exorcismo.
13. De summa doctrinae Ecclesiasticae.
14. De duabus naturis in Christo.
15. De cena Domini.
16. De visitatione ecclesiastica.

Conciones

1. Luc. 12. Unde dicitur non dicitur benedictio etc.
2. Luc. 29. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
3. Matt. 24. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
4. Matt. 11. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
5. Cor. 11. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
6. 1. Cor. 13. Unde dicitur quod dicitur quod etc.



5

PROPOSITIONES  
DE PECCATO.

De quibus disputabitur in Academia Ienensi,  
loco & tempore solito.

A

D. IOHAN. VVIGANDO.



I E N A E  
Excusæ per Donatum Ritzenhain.  
Anno 1570.

PROPOSITIONES

DE PECCATO

Abbas Augustinus in A. cadensis scriptis  
anno & mense Julii

D. JOHANN. VV. GALLIO



LE N. N.  
Ex libris per D. Johann. Vv. Gallio  
anno 17. 20.



POSITIONES  
DE PECCATO.

I.



D veram hominis noticiam pertinet, non solum præstantiam eius excellentem ante lapsum, Sed etiam depravationem eius horribilem post lapsum, rectè intelligere.

2. Nam sicut infinitum discrimen est inter Deum & Diabolum, Sic etiam inter opus Dei & opus Diaboli, infinita est differentia.
3. Neq; remediũ, quod filius Dei, ex decreto sacrosanctæ Trinitatis, generi humano in redemptione præstitit, quisq; rectè percipere poterit, qui vim ac damna innumera ac multò maxima peccati, nõ aliquomodo perspexerit.
4. Prior pœnitentiæ seu conuersionis ad Deum pars est contritio, hoc est, cognitio peccatorum.
5. Non igitur seriò ac verè sese coram Deo agnitione peccatorum humiliabit, qui locum de peccato non cognouerit.
6. Ac certum est, ex ignorantia doctrinæ de peccato, apud gentes, Sophistas, & hæreticos, exoriri errores quam plurimos.
7. Etsi autem Ethnici aliquomodo vident humanæ naturæ infirmitatem, deformitatem, maliciam, afflictionum vices, destructionem eius, eaq; ingentia mala deplo- rant, & peccata externa aliqua ex parte agnoscunt, tamen non sciunt, quænam sit prima origo peccatorum, neq; quantæ res sint coram Deo, neq; qui effectus comitentur, præsertim post hanc vitam.
8. Itaq; ex verbo Dei, cuius est custos vera Dei Ec- clesia, hæc doctrina petenda est.
9. Vocabulum peccati, significat in genere quiddam  
A 2 reum,

reum, & damnatum à Deo, nisi fiat per Christum remissio.  
10. Est q̄ rotunda ac vera definitio peccati generalis,  
quæ extat i. Iohan. 3. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία.

11. Nam Lex est Norma eius Iusticiæ, quam Deus ab  
hominibus requirebat, vt nimirum interiori & exteriori  
obedientia eam exprimerent.

12. Sic enim erant homines conditi à Deo in initio, vt il-  
li regulæ eissent conformes, ac possent atq; deberent eam  
obedientiam creatori suo præstare.

13. Est autem peccatum duplex, Originale & Actuale.

14. Originale Paulus vocat inhabitans peccatum, &  
Legem membrorum. Originale verò dicitur, quia fons &  
scaturigo est omnium peccatorum, seu quia primum pec-  
catum in totum genus humanum exundauit. Nos Germa-  
ni, quia hæreditarium malum est, ritè appellamus Erb-  
sünde.

15. Est autem peccatum Originis, carentia iusticiæ o-  
riginalis debitæ inesse, & reatus propter lapsum Adæ, &  
deprauatio totius naturæ humanæ, quæ in omnes nascent-  
es carnali procreatione propagantur, propter quæ mala  
omnes sunt rei & damnati à Deo, nisi facta fuerit remis-  
sio.

16. Fundamentum huius definitionis est illud celebre  
dictum Psalmo 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum,  
& in peccatis concepit me mater mea, & similia.

17. Non autem conditum esse peccatum in hominis  
natura ab initio à Deo, superiori disputatione est exposi-  
tum. Gene. 1. 2.

18. Causa autem peccati primi in Paradyso commissi,  
fuit Diabolus impellens, & libera hominum voluntas, se-  
se à mandato Dei creatoris sui auertens, Gene. 3.

19. Mandatum enim Dei erat, ne ex arbore prohibita  
homines vescerentur, eaq; in re suam erga Creatorem su-  
um obedientiam exercerent ac declararent, addita omni-  
um gra-

um grauisſima interminatione de morte ſecutura, ſi contra Dei voluntatem acturi eſſent, Gene. 2.

20. Sed Diabolus odio Dei æſtuans, hominiquē inuidens felicitatem, quam à Deo acceperat, verbum à Deo æditum, falſa gloſſa deprauat.

21. Eua prius decepta, pomum mortiferum mordet. Adam quoque nefando morſu idem Dei præceptum violat.

22. Neque verò ex leui ſaltem deguſtatione iſtius pomi, peccatum hoc æſtimandum eſt, Sed omnium maximè ex conſideratione diuinæ Maieltatis, quæ erat Creator hominum, à quo deficiunt homines, Ex mandato Dei, quod meritò fit maximi, à quo diſcedunt homines, Ex comminatione mortis atque æternarum pœnarum, quam floccipendunt homines, Ex hoſtis Dei inſpectione, cui obtemperant homines, Ex pomorum reliquorum copia, quam ſtidiunt homines, Ex ſuperba temeritate, quòd contra Dei voluntatem, excellentiam diuinam ſuaſu diaboli affectant homines, Ex grauitate damnorum, quæ ſibi ac toti generi humano accerſunt.

23. Huius primi peccati, quod ab hominibus accidit, pœnas, Moyſes ſolenter enumerat, Gen. 3. nempe:

24. 1. Nuditatem deformem, exteriorē & interiorē.

25. Nam ſapientia in rebus ſpiritualibus, omniumque maximis extincta eſt hoc lapſu.

26. Iuſticia atque integritas virium totius ſubſtantiaë euauit.

27. Interior verò immundicia, quæ ſucceſſit, etiam deformitatem externis membris peperit tantam, vt Adam iudicaret eam immundiciam, neque Dei neque hominum oculos ſuſtinere poſſe. Eaque de cauſa primas veſtes ex folijs arborum conſuit.

28. 2. Fugam Dei, ſeu malam conſcientiam ex lapſu foedu, & conſideratione nuditatis deformis, quam allegat omnium primò Adam, Gen. 3.

A 3 29.

29. Immunda enim non posse coram Deo consistere,  
Legis cognitio Adamum docebat.
30. 3. Maliciam internam & impudentiam externam in  
peccatis palliandis & augendis. Erant enim tam horribi-  
liter iam deprauati & pueri primi illi homines, vt coram  
ipso Deo, scrutante corda ac renes, quærent excusatio-  
nes peccatorum, & sic peccata accumularent.
31. 4. Tyrannidem Diaboli, grassaturi in genere hu-  
mano. Nam prædicit Deus, perpetuas diabolum inimici-  
tias exerciturum erga genus humanum.
32. 5. Propagationem liberorum ærumnosam & do-  
loribus plenam, quæ quidem est ipsa quoq; ppagatio ma-  
li originalis. Nam ex effectu causa declaratur.
33. 6. Inæqualitatem quandam personarum in coniugio.
34. Nam maritus vxori quadam ratione præfertur,  
eiusq; Dominus constituitur. Vnde Apostolus appellat  
virum caput mulieris.
35. 7. Maledictionem terræ.
36. 8. Difficultatem laborum in quærendo victu.
37. 9. Mortem, quæ complectitur temporales atq; æ-  
ternas pœnas.
38. 10. Pullionem ex Paradyso.
39. Istæ pœnæ luculentum ferunt testimonium, quod  
Deus neq; author, neq; impulsor, neq; approbator sit pec-  
catorum, Sed verè ac grauter irascatur peccatis, eaq; ve-  
lit punire.
40. Damnandi igitur sunt furores Manicheorum,  
contendentium, homines initiò conditos esse malos.
41. Cum autem Deus sit bonus, Ideò nefariè contra  
sacram scripturam duos confinxerunt Deos Manichei,  
alterum bonorum, alterum verò malorum authorem.
42. Neq; verò in lapsu seu post eum, substantiæ Adæ  
& Eux desierunt esse, licet sint denudatæ, deformatæ, de-  
prauatq; horribiliter, vt ex superioribus liquet.

43. Nam



43. Nam post lapsum non retinuerunt homines præstantiam, in qua à Deo conditi erant.
44. Sed amiserunt eam, manente tamen substantia pristina corporis & animæ.
45. Verum deformitas naturæ, & malum quod propagatur naturaliter cum dolore in posteros, & mors successerunt.
46. Quemadmodum ista depinguntur à Christo in viatore, qui non solum spoliatus, verum etiam usque ad mortem vulneratus est, Lucæ 10.
47. Amissa est enim primum ex natura humana sapientia in rebus diuinis ac spiritualibus. Successerunt autem in natura humana tenebræ horrendæ & multiplices.
48. Amissa est ex natura humana iusticia ac puritas sancta corporis atque animæ, ac successit in natura humana foeda impuritas ac malicia tum in anima tum in corpore.
49. Integritas igitur & ordinatæ actiones virium sunt amissæ. Successit autem *ἁρξία*, & peruersitas virium.
50. Nam etsi aliqua ratio mansit, quæ in vita ciuili externis rebus prælucet, tamen ea & mutila est vehementer, & in pluribus corporalibus rebus aberrat & peccat.
51. Etsi manent aliqui affectus, tamen illi vitiantur malignitate naturæ.
52. Excellens dominium supra creaturas, maxima ex parte amissum est, ac successit metus etiam quarundam creaturarum. Ad repentem enim vermiculum sæpè magnus vir expauescit.
53. Beata & æterna vita amissa est, & tantum animalis, grumosa, mortisque singulis momentis obnoxia, est relicta.
54. Hæc ingentia mala peperit lapsus ille luctuosus, in Paradiso commissus.
55. Hic igitur est fons seu lerna potius peccati originalis, de quo cœpimus differere, id quod diligenter obseruandum est.

56. Necessè igitur est discerni substantiam Adæ, quam habet à Deo, & illam deprauationem suæ substantiæ, quã habet ex lapsu.

57. Accessit igitur hæc corruptio ad substantiam Adæ, non ex creatione Dei, sed ex lapsu iam creati hominis, & diaboli.

58. Non igitur noua substantia in Adam conditur, Sed condita à Deo, vitiatur & deprauatur.

59. Nunc igitur de propagato peccato in posteros Adæ, quod originale proprie vocatur, dicendum venit.

60. Ac sunt Originalis peccati proprietates istæ potissimum.

I. Est CARENTIA iusticiæ originalis debitæ inesse.

61. Sicut enim Adam non pro se tantum, sed pro vniuersa posteritate accepit iusticiam originalem: Ita cum lapsu suo, non solum ex se amisit, sed vniuersæ posteritati amisit illud ingens bonum.

62. Debisset enim iuxta Dei ordinationem, hanc illustrem Dei imaginem, in totam posteritatem, propagare.

63. Iam verò cum ipse eius fecisset iacturam, quod non habuit amplius, deriuare in alios non potuit. Luem verò, vt postea dicitur, quam à Diabolo accepit, propriaque temeritate sibi accersiuit, propagauit.

64. Huc etiam illud spectat, quod Paulus inquit, Omnes nos carere gloria Dei, Rom. 3.

65. II. Est REATVS propter lapsum primorū parentum. Sic enim Paulus docet Rom. 5. Per vnum peccantem venit mors. Item, Per vnus delictum in omnes homines in condemnationem. Item, Vnius inobedientia peccatores constituti sunt multi.

66. Voluit enim Deus homines istum reatum & eius signa gerere, vt magnitudinem lapsus, & grauitatem iræ diuinæ non nihil expendere.

67. III.

67. III. Corruptio hominis.

Ea verò suas habet proprietates. Est enim corruptio propagata, totam naturam obsidens, tenacissimè inherens, rea & damnata, non ociosa, quæ tamen separabitur suo tempore. Id verò plurimū refert ordine exponere.

68. I. Proprietas corruptionis. Ex carnali propagatione peccatum originis, in omnes posteros propagatur, teste scriptura sacra, Gene. 3. In dolore concipies & paries. Psalm. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Iohan. 3. Quod ex carne natum est, caro est. Rom. 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.

69. Materia igitur parentum, seu gutta seminis, ex qua homo nunc formatur, est peccato diluta & vitiata.

70. Ergo & homo peccatis deprauatus inde nascitur. Iohan. 3.

71. Opus creationis in homine formando, ipsius Dei est. Medium sunt parentes. Sed vitium seu lues peccati, quæ inest materiæ ex qua, non est à Deo. Sed est à Diabolo & homine.

72. Nam immota est hæc sententia. Psalmo 5. Deus non volens iniquitatem tu es.

73. Cur autem Deus ex deprauata ista materia velit in hoc mundo homines condere, nemo cum Deo expostulet.

74. Nam vult hac in parte extare signa iræ suæ & poenarum contra peccata.

75. Est autem Dei iudicium absolutissimè iustum, quia Deus est ipsa Iusticia æterna.

76. Vult etiam immensam suam erga genus humanum, dilectionem & misericordiam conspici, quod tam deprauatos & perditos homines, per intercessionem ac passionem Filij vnigeniti redemit, sanctificat & viuificat. Iohan. 3. Rom. 5.

77. Manifesta itaq; in Deum blasphemia est, dicere,  
B Dia

Diabolum esse creatorem substantiæ humanæ, Gene. 2.  
78. Manifestus error est, fingere, in propagatione hominum post lapsum, peccatum extrinsecus in naturam, quæ nunc propagatur, venire.

79. Nam Adam vitiatus ac deprauatus sua natura, genuit vitiatum ac deprauatum foetum, Gene. 5.

80. Etsi autem fit spiritalis regeneratio per verbum & spiritum sanctum, tamen ex renatis quoque parentibus, nascuntur impuri & corrupti liberi, Psalm. 51.

81. Causa est, quia peccatum originis in regeneratione spiritali, remittitur quidem, & renouatio inchoatur, Sed non penitus excinditur ex natura, verum ita altè radices in ea egit, vt maneat morbus, seu venenum, seu deprauatio illa pessima.

82. Hinc sunt illa dicta, reatu transit peccatum originis, actu manet. Item remittitur, non vt non sit, sed vt non imputetur. Item, remissum est regeneratione spiritali, & manet in carne mortali.

83. Et apta est similitudo à granis frugum sumpta, quæ quidem decussis glumis in agris feruntur, verum ex natura sua, non sine glumis in spicis suis propagantur & multiplicantur. Item à præputio præfecto, quod tamen omnibus liberis circumcisorum naturaliter innatum fuit.

84. Grauisimè igitur errant Pelagiani & Anabaptistæ nonnulli, qui somniant, liberos ex parentibus nasci sine peccato, & tantum imitatione exempli Adæ, homines peccare.

85. Nam disertè inquit Paulus. In omnes homines mors pertransiit, eò quod omnes peccauerunt, hoc est, omnes mortales peccato originis imbuti & deprauati sunt. Roma. 5.

86. Nec multum abest sententia quorundam Sacramentariorum, affirmantium, renatorum liberos ad gratiam Dei pertinere ante Baptismum magis, quàm nondum renatorum.

87. Nam

87. Nam Paulus de omnibus sine discrimine inquit, Eramus natura filij iræ, Eph. 2.
88. Mandatum Christi: Baptisate omnes gentes, tam ad ethnicos, quàm ad Christianos pertinet. Hoc autem est differentia, quod nati extra Ecclesiam, à parentibus non adferuntur ad baptismum, vt ij, qui intra Ecclesiam nati sunt.
89. 2. Proprietas corruptionis est. Peccatum originis est in tota natura & substantia hominis. Totam enim animam totumq; corpus inuasit, penetrauit, occupauit, corrupit, deprauauit.
90. Sicut enim imago Dei in toto homine fulsit, ita peccatum originis in toto homine foetet.
91. Quàm tristes sunt hæ voces: Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, Psalm. 38. Figmentum humani cordis malum est ab adolescentia eius, Gen. 8. Ante tuos oculos, nil nisi culpa sumus, Psalm. 51. Omnes peccauerunt, omnes rei sunt, omnes morti obnoxij sunt, Rom. 3. 5. 7. Verum hanc partem supra attigimus, vbi expositum est, quid amissum, & quid vicissim acceptum sit, quæ huc quoq; faciunt.
92. In ipsis quoq; infantibus, malicia, morbis, morte, sese hoc malum, hæc lepra, quæ à parentibus ipsorum naturæ implantata est, exerit.
93. Furor igitur est Sorbonistarum, & aliorum Sophistarum, affirmantium, Naturalia post lapsum mansisse integra.
94. Nugæ sunt, Peccatum originis esse quiddam extra substantiam hominis, sicuti corona in capite puellæ.
95. Nam ipsa natura & substantia hominis, vt dictum est, peccato originis tota infecta & polluta est, neq; tantum supernaturalibus donis exuta & destituta est.
96. Talis Sorbonistica extenuatio est, Peccatum originis in homine, esse veluti allium in Magnete,

quo impediatur, ne trahat ferrum, alio verò remoto, vim suam Magnes iterum ostendat & exerceat.

97. Nam peccatum non tantum adhærescit cuti, vt color parieti, aut fucus in puellæ facie, Sed totam hominis substantiam & naturam adeo peruasit & occupauit, vt tota sit corrupta, teste Paulo, Non habitat in carne mea bonum, Rom. 7.

98. Sed inde non sequitur, peccatum originis & substantiam hominis, non esse diuersa, imò potius inde patet, esse diuersa.

99. Ratio euidentis est, quia peccatum originis est corruptio naturæ & substantiæ hominis.

100. Et si autem oculis ac manibus discerni nequeant iam in hoc mundo, substantia hominis, qui naturali modo ex carnali propagatione natus est, & hoc vitium seu deprauatio substantiæ & naturæ humanæ, quia tota massa hominis ea terra lue infecta est, tamen cogitatione discerni debet ac potest.

101. Nam verbum Dei de peccato originis perspicue loquitur tanq̃ de vitio & corruptione hominis.

102. Iam nemo sanus dubitauerit, vitium alicuius rei, & rem ipsam, si non aliter, saltem cogitatione discerni posse ac debere.

103. 3. Proprietas corruptionis. In hac vita peccatum originis ita tenaciter inhæret toti hominis substantiæ, vt expurgari penitus nequeat, licet fiat remissio, & per Spiritum sanctum aliqua inchoetur renouatio.

104. Id verò mors omnium sanctorum, vniuersaliter testatur.

105. Nam quod Enoch & Elias viui in cœlestem vitam assumpti sunt, singularia sunt Exempla.

106. Hinc illæ infirmitates sanctorum, imò non rarò etiam fœda peccata ipsorum, quando à spiritu sancto destituantur, pullulant.

107. Re.

107. Reijciendus itaq; est error Gnosticorum, Catha-  
rorum, Anabaptistarum, & similium fanaticorum, qui re-  
natorum perfectionem somniant tantam, vt sine peccatis  
esse, Legiq; diuini satisfacere queant.

108. Nam Filius Dei Apostolos, hoc est, renatos & om-  
nes pios iubet quotidie orare, Pater coelestis dimitte no-  
bis debita nostra.

109. 4. Proprietas corruptionis. Peccatum originis iam  
nobis Adæ posteris non solum est alienum, sed etiam no-  
strum est, hæret in nostra substantia & natura, & verè pec-  
catum est, hoc est, res rea & sua natura digna morte & dam-  
nata à Deo, nisi per Christum remissio fiat, Eph. 2.

110. Paulus claris verbis appellat peccatum, Rom. 5. 7.  
& disertè testatur hunc morbū originis, *αὐτίσκατένευ* con-  
tra Legem Dei. Impudenter igitur negat Tridentinum  
conciliabulum, peccatum originis in baptisatis propri-  
am vim peccati habere.

111. Etsi autem in renatis credentibus in Christum, con-  
donatum & remissum est peccatum originis, tamen quia  
lues illa manet, ideo sua natura & per se est res coram Deo  
abominabilis, & damnatione digna.

112. Non tamen dominari peccatum originis, sed spiri-  
tu reprimi debet, vt monet Paulus, Non regnet inquit pec-  
catū in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscen-  
tijs eius, Roma. 6.

113. Papistæ ineptè luem originalem post Baptismum  
vocant fomitem, non peccatum, id est, rem ream, iramq;  
Dei & mortem commertitam, Sed imbecillitatem quan-  
dam, quæ facile concipiat peccata, vt fomes ignem.

114. Sed Paulus expressè vocat peccatum, & monet, ne  
ei frena laxentur, neue dominium ipsi concedatur.

115. Est igitur peccatum originis non solum pœna, sed  
pœna & peccatum, teste verbo diuino.

116. 5. Proprietas corruptionis. Non est ociosum malum,  
B 3. sed.

sed efficax & fecundum, tum in nondum renatis, tum etiam in renatis.

117. Tota enim natura corrupta, & malicia repleta est, Roma. 8.

118. Tristis experientia testatur, homines nondum renatos, neque disciplina ad honestatem aliquam adsuos factos, deteriores esse brutis, atque innumeris flagitijs sese polluerent, imò hominem ab homine vorari, ut de Anthropophagis, non pauca referunt Geographi, auditu horrenda.

119. In renatis quoque perpetuò conatur malicia illa, naturæ humanæ insita, ebullire, ac peccata concitare.

120. Paulus renatus hanc sanè horrendam & lugubrem vocem ædit. Video inquit, aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ, & captiuantem me legi peccati, quæ est in membris meis. O infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius? Rom. 7.

121. Hoc naturale ut sic vocem, peccatum, Davidem in adulterium & cædem protrusit, aliosque multos excellentes heroas tetris peccatis conspurcavit.

122. Itaque Paulus gravissimè docet per Spiritum sanctum isti tam vehementi atque operoso morbo esse resistendum, quia caro id non valeat præstare. Spiritu inquit ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, Spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, ut non quæcunque vultis, ea faciatis, Galat. 5.

123. Hinc etiam perspicuum est, nequaquam dicendum esse Peccatum originis tantum fomitem, qui non prius ardeat, nisi aliunde accipiat ignem.

124. Nam peccatum originis per sese est ignis maledictus, qui totam hominis substantiam corripuit, & nisi à renatis per Spiritum sanctum reprimatur, subinde flammam euomere, atque incendia efficere tentat.

125. In



125. In mente est malitia ingens, dubitationes de Deo, iudicia praua. Quid enim potest dici atrocius, quæ quod Paulus ait, φρόνημα τῆς σαρκός, est inimicitia aduersus Deum?
126. In corde prauus affectus æstuant, teste Christo, Mat. 15. & Paulo, Gala. 5.
127. Hæc securi & profani homines considerent, ne existiment leui aut inefficaci malo naturam hanc humanam obsideri.
128. Cogitent & renati, quantum hostem in sua natura foueant, ac petant ardentius gubernationem Spiritus sancti, ac plenam liberationem cupidius desiderent.
129. Infana igitur Maluendæ & aliorum Pontificiorum sententia est, hominem renatum Deo suum quod debeat, & proximo similiter suum quod debeat, reddere posse.
130. Falso etiam Sophistæ contendunt, Nullum esse peccatum, nisi sit voluntarium.
131. Postremò, Peccatum originis est malum separabile à substantia tota, hoc est, ab anima & corpore hominis.
132. Sicut enim initio hoc malum non est conditum à Deo, Sed accessit ad creaturam Dei, id est, ad substantiam Adæ, tanquæ vitium eius.
133. Ita vicissim ab Adæ & eius posterorum substantiis discedet, remouebitur, auferetur in vniuersum.
134. In hac enim vita, reatus eius in regeneratione per fidem in Christum, remouetur, iuxta dictum Christi, Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit, Marc. 16. Item, Qui credit in Filium, non venit in iudicium, Ioh. 3.
135. Fit etiam quædam renouatio in credentibus per spiritum sanctum. 1. Corin. 3. Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Item Eph. 2. Ipsius opus sumus, conditi per Christum Iesum ad bona opera.
136. In regeneratione autem, quæ fiet in nouissimo die, plena fiet restitutio hominis, reddita nimirum imagine Dei in tota hominis substantia, & radicitus extirpato peccato.

B A

Sic

Sic enim Christus suos docet Matt. 19. Et Ioannes inquit,  
Apoc. 22. Omne maledictum non erit amplius, sed sedes  
Dei & Agni, & serui eius seruient ei.

137. Damna & pœnæ peccati originalis sunt: Peccata  
interiora & exteriora contra primam & secundam Deca-  
logi tabulam, Ira Dei, Tyrannis diaboli, pœnæ tempora-  
les & æternæ, morbi, mors, damnatio atq; abiectio æter-  
na in his, qui non credunt in Christum.

138. Remedium autem diximus esse meritum Christi,  
quod verbo & Sacramentis nobis applicatur, Iohan. 3.  
Matth. 28. Marc. vlt.

139. ACTUALIA autem, peccata sunt omnis generis  
peccata interiora & exteriora, e peccato originis contra  
Legem Dei pullulantia, quæ faciunt nos reos iræ æternæ,  
nisi per fidem in Christum fiat remissio.

140. Christus inquit, De corde exeunt cogitationes ma-  
læ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimo-  
nia, & blasphemia. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem  
Matth. 15.

141. Actualia autem vocantur, quia sunt fructus pecca-  
ti originalis.

142. Nec tamen excluduntur peccata omissionis, cum  
nimirum vel crassa vel affectata omissione, agenda iuxta  
Dei præceptum, negliguntur.

143. Est & hæc distinctio retinenda, Alia sunt peccata  
regnantia, quæ vulgò Mortalia vocantur, alia non regnan-  
tia seu venialia, Lutherus etiam regnata appellat.

144. Nam Paulus Rom. 6. hanc differentiam constituit,  
Non regnet, inquit, peccatum in mortali corpore vestro.

145. Est autem peccatum Regnans seu Mortale, tum  
peccatum originis in nondum renatis, tum omnia pecca-  
ta, quæ fiunt contra conscientiam, de quibus non agitur  
pœnitentia.

146. Talia igitur peccata non sunt in sanctis, aut si per-  
petren-

petrentur ab ipsis, excutiunt gratiam Dei & Spiritum sanctum, nisi agatur poenitentia.

147. Reuelata est enim sententia: Iniqui regnum Dei non possidebunt. Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis seruentes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt, 1. Corin. 6. Gal. 5.

148. Est igitur impia & furiosa vox Anabaptistarum, Antinomorum, & Epicureorum, facias quicquid velis, si credis in Christum, saluaberis. Item, licentia vitae non excuti gratiam Dei, Spiritum sanctum, & fidem.

149. Imò Paulus inquit, Liberati à peccato, serui facti estis iusticiæ, Rom. 6.

150. Estque maliciosa & falsa Euangelicæ doctrinæ exprobratio, quæ à Pontificijs agitur, quasi licentiam peccandi permittat, quia docet, Sola fide, gratis, propter Christum contingere remissionem peccatoribus, agentibus poenitentiam.

151. Certa res est, qui errores pugnantes cum fundamento pertinaciter defendunt, non peccare venialiter, sed mortaliter, sic & de cæteris peccatis mortalibus sentiendum est.

152. Venialia seu non regnantia peccata sunt, peccatum originis in renatis, infirmitates sanctorum interiores & exteriores, quibus reluctantur tamen, & agunt de ijs poenitentiam.

153. De his, inquit Paulus, Nulla nunc damnatio est his, qui in Christo Iesu sunt, Rom. 8.

154. Ac sunt illæ infirmitates renatorum peccata per se, ac non sunt sua natura venialia, Sed sunt res damnatæ à Deo, nisi per Christum fiat remissio.

155. Mendacium igitur est, quod Andradius asserit:

C

rit:

rit: In ratione peccati venialis inesse, quod sit venia dignum.

156. Sed necesse est tamen discerni peccata, quæ excutiunt Spiritum sanctum, & quæ non excutiunt.

157. Sine peccatis quidem sancti esse non possunt, quia peccatricem naturam circumgestant, donec in hoc mundo degunt, Sed tamen per Spiritum sanctum carni reluctari tenentur, eiusque desideria, vt loquitur Paulus, perficere non debent, sed potius crucifigere carnem cum suis affectibus & desiderijs, Gal. 5.

158. Hoc igitur cum faciunt renati, & quotidie precantur à Deo condonationem istarum infirmitatum, & peccatorum, tum omissionis tum commissionis, sciant non excuti Spiritum sanctum & gratiam Dei, idque iuxta dictum, Si secundum carnem vixeritis, moriemini, Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis, Rom. 8.

159. Vtraque igitur extrema sunt fugienda. Renati non existiment se Deum propicium retinere, quando peccant mortaliter. Deinde verò non desperent, neque dubitent, se esse in Dei gratia, etiamsi multas & magnas imbecillitates, quæ gignunt varia peccata, in hac vita circumferant, quibus tamen resistunt Spiritu, & petunt fide veniam propter Christum.

160. Peccatum in Spiritum sanctum dicitur, veritatem diuinam per Spiritum sanctum agnitam, contra suam ipsius conscientiam, verbis ac factis finaliter blasphemare, aut contra luculentas promissiones gratiæ desperare.

161. Hinc facile iudicium fieri potest de nouo illo dogmate, peccatum esse substantiam, quod abhorret & explodit Ecclesia Christi.

162. Et quidem variatio crebra eius Propositionis, falsitatem non obscure arguit.

163. Nam prima forma est, Peccatum est substantia.

164. Atque

164. Atqui hæc non propriè dicit, constat, quia non omne peccatum dici potest substantia.

165. Nam idolatriæ, blasphemix, adulteria, cædes, rapinæ, mendaciæ, & similia peccata, nequaquæ sunt substantiæ, alioqui necesse foret, tot substantias fingere, quot essent peccata.

166. Secunda forma, quam accepit, est, Peccatum originis est substantia, de hac paulò post.

167. Tertia forma, in quam mutata est, sic sonat, Peccatum originis est ipsa anima.

168. Sed anima hominis est à Deo. Peccatum verò originis non est à Deo, sed à Diabolo. Zach. 12. dicit, Dominus extendens cœlum, & fundans terram, fingens Spiritum hominis in eo. Quomodo igitur hæc consistere possunt?

169. Quarta forma, quam induit, est, Peccatum originis est ipsum cor hominis. Suntne igitur ipsa anima, & ipsum cor, idem substantia? licet ad vnicum ὑφίσταμενον pertineant.

Ergo reliqua corporis moles, non est peccatum? cum tamen corpus & anima sint vitata ac polluta peccato originis, teste verbo Dei.

170. Sed ista Metamorphosi ac polymorphosi omis-  
sa, certum est, hanc propositionem: Peccatum originis esse substantiam, veritati cœlesti consentaneam non esse.

171. Nam verbum Dei, comprehensum in monumentis Prophetarum & Apostolorum, tale pronunciatum non habet, imò res etiam non habet, vnde eiusmodi dogma conflare queat.

172. Quin potius contraria adserit sacrosancta scriptura.

173. Impingit enim hoc dogma in Articulum de Deo, quia Diabolum quoque aliquomodo creatorem substantiæ constituit, quod Manichei delirium, iam olim ab Ecclesia Christi damnatum est.

174. Si enim peccatum originis est substantia, Et peccatum originis non est à Deo, verum à Diabolo, Ergo sequitur Diabolum esse authorem substantiæ.

175. Hæc nullis elusionibus possunt saluari aut fuscari.

176. Non enim sequitur, Diabolus vitiauit substantiam, Ergo est author substantiæ, quia differunt corruptio substantiæ, & ipsa substantia, licet corruptio totam substantiam occupet.

177. Impingit hoc dogma in Articulum de creatione. Nam Deus creauit substantiam hominis sine peccato originis. Ergo peccatum originis non est ipsa substantia hominis.

178. Quieuit Deus septimo die. Hoc omnes orthodoxi enarrant, cessauit à creaturis seu substantiis pluribus condendis.

179. Estq; immotum in Theologia principium, Solus Deus est author & conditor substantiarum. Vnde sequitur, nullam creaturam alicuius substantiæ, verè quidem & propriè sic dictæ, conditricem esse posse.

180. Neq; post lapsum amissa est prior substantia. Nam id concedere coguntur, Indiuiduum mansisse. Iam si Indiuiduum Adæ, Ergo & substantia eius mansit.

181. Aliam verò ad Indiuiduum seu substantiam Adæ accessisse substantiam, monstrum est, sacris literis ignotum.

182. Adam lapsus inquit, se nudum esse, non ait se substantiam suam amisisse.

183. Porrò nuditas illa Adæ, secuta lapsum, non significat amissionem substantiæ, Sed bonitatis, sapientiæ, iusticiæ, quæ iuxta Dei creationem & implantationem, ante lapsum fulgebant in Adam, & nunc se pollutum esse tota sua substantia fatetur, Ego inquit, nudus sum.

184. Im-

184. Impingit hoc dogma in Articulum de coniugali propagatione. Nam Ecclesia bono & utili consilio matrimonium ineuntibus, benedictionis loco hæc diuina verba dicat, Benedixit illis Deus, Crescite & multiplicamini, & replete terram, Gene. 1. Item Psalmo 128. Liberi appellantur Benedictio Domini.

185. Est ergo propagatio substantiæ hominum, opus Dei, & non Diaboli.

186. Sed vitium seu lues, seu deprauatio illius substantiæ, ex Diabolo & parentibus esse diximus iuxta verbum Dei, quia ex semine parentum fit propagatio, & illud semen parentum est peccato originis corruptum. Ergo ex parentibus manat corruptio, quæ non est opus Dei.

187. Aliud verò est, quando hæc deprauatio dicitur poena Dei, quam prædixit secuturam lapsum, & quam permisit Diabolum in homine perficere.

188. Quid horribilius dici posset matribus, quæ multis maximis doloribus & laboribus benè merentur de liberis, quam si hoc ipsis occineretur, substantiam liberorum à Diabolo condi? Sic autem non loquitur scriptura, sed potius solatur puerperas.

189. Verè igitur hoc nouum dogma pugnat cum Catechismo paruo, in quo prima Symboli Apostolici pars sic enarratur: Credo quod Deus creauit me vnã cum omnibus creaturis, quod corpus & animam, (Notate, qui dicitis, peccatum originis esse animam) oculos, aures, & omnia membra, rationem & omnes sensus mihi dedit, & adhuc sustentat.

190. Hæc eludi nequeunt, quia de hominis substantia proferuntur, qualis nunc in coniugio propagatur.

191. Impingit in Articulum de peccato originis. Nam Paulus, qui ingeniosè, ppriè, & summa perspicuitate hunc locum illustrat, vocat peccatum inhabitans, ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοί.

Ἐμοὶ ἁμαρτία. Item, In me, inquit, non habitat bonum. Clare dicit, peccatum habitare in sese, non inquit, Peccatum est substantia, Verum in sua substantia ait id habitare. Item vocat Legem in membris suis, Non inquit, Peccatum sunt mea membra, sed in meis membris. Item, Ego inquit sum venundatus sub peccatum, Ergo se seu substantiam secernit à carcere illo, seu seruitio, Rom. 7. Sap. 12. dicitur ἔμφυτος κακία. Heb. 12. ἐν περιεργαστῶ ἁμαρτία. Peccatum nos circumstans.

192. Item, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit. Ergo peccatum originis ait intrasse in homines omnes, Ergo non est substantia hominis. Rom. 5.

193. Quod verò scriptura inquit, Ipsum figmentum cordis est malum ab adolescentia, Gen. 8. Item, Peruersum est cor hominis, Jerem. 27. Item, Sensus carnis est inimicitia contra Deum, Rom. 8. Est Synecdoche, qua & peccatum originis, & subiectum, in quo habitat, simul nominantur.

194. Nam licet nunc quidem post lapsum, originale peccatum, vniuersam hominis massam inuaserit ac deprauauerit, tamen quærenda sunt duo: Primum, vnde sit ista malicia totius hominis? Deinde an ea inhabitans malicia, sit ipsa substantia?

195. Iam verò verbum Dei rotundè inquit, Per vnum hominem peccatum in omnes homines INTRASSE, Rom. 5. Nam quod inquit in hunc mundum, ipse his verbis ibidem enarrat, in omnes homines.

196. Et quidem loquitur de hominibus post lapsum propagatis.

197. Nam si substantiam Adæ inuasit primum ea lues, quæ debebat esse seminarium totius posteritatis.

198. Rectè dicit Paulus, eam luem per Adam in omnes homines INTRASSE, vt discernat saltem cogitatione



tionem substantiam, & hoc malum quod est corruptio substantiæ.

199. Nam reddere toti posteritati, iuxta Dei creationem, Adam debebat sanam, incorruptam, & integram naturam.

200. Verum quod accesserat ad suam naturam, id simul sic per Adam accedit ad naturam posterorum.

201. Deinde inhabitantem malitiam, non esse ipsam hominis substantiam, ex iisdem Pauli verbis est perspicuum. Inquit enim, peccatum in homines intrasse, non ait, peccatum est ipsamet substantia hominis.

202. Impingit hoc dogma in Articulum resurrectionis. Nam substantia resurget in nouissimo die, & erit æterna. Job. 19.

Iam si peccatum est substantia, Ergo & peccatum resurget, quia ut dictum, Quicquid est substantiale in homine, id resurget & erit æternum.

203. Si quis tali modo ista eludat, malicia tum aberit, bonitas verò vicissim aderit, ei rectè potest regeri, Ergo peccatum originis non est ipsa hominis substantia.

204. Cum itaq; hæc ipsa nostra substantia, aliquando sit futura sine hac lue originali, Ergo non meretur dici substantia hominis.

205. Porro peccatum ita definitur à Iohanne, Peccatum est ἀνομία. Non dicit, Peccatum est substantia.

206. Nec sequitur, scriptura ipsam quoq; substantiam hominis accusat & damnat, Ergo peccatum originis est substantia. Nam propter peccatum inhabitans in tota hominis substantia, meritò quoq; ipsa substantia est rea.

207. Hoc nouum dogma est contra veteris Ecclesiæ doctrinam & iudicia. Constat enim Augustinum ex instituto contra Manichæorum deliramenta, & hoc paradoxon reiecisse, peccatum esse substantiam.

De natura & gratia contra Pelagianos inquit, Nec existimemus peccato naturam humanam non posse vitia-ri, Sed diuinis credentes scripturis, peccato eam esse vitia-tam, quomodo id fieri potuerit inquiramus, quoniam pec-catum iam dicimus non esse substantiam.

Item, Sic non est substantia peccatum, sed substan-tia est Deus, &c.

Item contra Secund. Manich. cap. 12. Certè omnis inter nos discretio est, quod vos substantiam quandam malum esse dicitis. Nos verò non substantiam, sed incli-nationem.

Item contra Iulia. Pelag. Non igitur resistimus Ma-nichæis nisi obtineamus, non esse mala orta nisi ex bo-nis. Nec ea mala substantias esse, sed substantiarum vicia creatarum.

Item Psalmo 68. Iniquitas quippe ipsa non est sub-stantia. Non enim iniquitas est natura, quam formauit Deus, Sed iniquitas est peruersio, quam fecit homo. Na-turæ omnes per ipsum factæ sunt. Iniquitas per ipsum fa-cta non est, quia iniquitas non est substantia. Item, Vicia non sunt substantia.

Item inquit de natura & gra. Iohannem Constanti-nopolitanum dicere, Peccatum non esse substantiam.

Epiphanius ait esse ἀνυπόστατον κακόν.

Basiliius inquit, Desine diuinam incusare substan-tiam, nec omnino velis Deum substantiæ malî autorem putare, aut aliquam mali subsistentiam imaginari. Non enim subsistit velut animal iniquitas, nec ipsius essenti-am enypostaton statuere possumus. Nam malum priua-tio boni est. Oculus creatus est, cæcitas ex oculorum per-ditione prouenit.

Item, Animam similiter Deus fecit, non autem pec-catum.

catum. Vicio autem anima contaminata est, degenerans ab eo, quod ex natura facta est.

Maxentius inquit in lib. de fide, Anathematifamus eos, qui naturale aut substantiam aliquam dicunt esse peccatum.

Theophilactus in Marc. cap. 10. Peccatum res est sine essentia, & sine substantia.

Sic Anshelmus & alij multi Patres claris verbis rejiciunt hoc dogma, peccatum esse substantiam.

208. Ecclesia Christi repurgata ab inquinamentis Antichristi, tale pronunciatum non habet. Est ergo insolita doctrina.

209. Lutherus vir Dei, nusquam ista verba protulit, peccatum originis est substantia.

210. Psalmo 51. Tomo 4. fol. 392. inquit, Semen humanum, Massa illa ex qua formatus sum, tota est vicio seu peccato corrupta. Materia ipsa est vitata. Hæc Lutherus. Non autem dicit, Peccatum est substantia, Sed est vitium & corruptio substantiæ, quæ quidem locutiones plurimum differunt.

211. Item in Gene. 42. cap. Tomo 4. fol. 215. Hæret in nobis Malum originis, contractum in Paradyso, FERMENTVM Diaboli, quo NATVRA infecta est. Hæc ille. Ergo non dicit, Peccatum est Substantia vel Natura, Sed Fermentum inquit esse, quo Natura infecta est. Audi, quo Natura infecta est, inquit.

212. Quod verò inquit, Peccatum esse de essentia hominis, nequaquam hoc vult, peccatum esse substantiam.

213. Nam contra Sorbonistas agens, in hoc intendit omnia, Naturalia non esse integra, sed peccatum originis esse in natura hominis, eamque totam horribiliter depravasse, non tantum accidentia, vt Sophistæ fingeant.

214. Nusquam verò hoc monstrum profert, peccatum esse substantiam.

D

Si

215. Si denique subiectum huius propositionis: Peccatum originis est substantia, examines, patet, Peccatum originis non esse vocem substantialem.

216. Paulus Roma. 7. Concupiscentiam vocat peccatum originis. Atqui Concupiscentia non est substantiae vocabulum, sed vitium.

217. Praedicatum itaque nempe est substantia, tam quadrat ad subiectum, quam si dicas, Homo est ceruus, aut ebrietas est homo.

218. Hominem esse peccatum. Substantiam esse peccatum, id est, rem immundam, pollutam peccatis, ream, dici posse, nemo ignorat.

219. Sed si conuertas, Ergo peccatum est ipsamet substantia hominis, non sequitur, neque valet, ob causas supra expositas.

In substantia hominis habitare, inesse peccatum. Totum hominem esse corruptum ac dilutum peccato. Animam & corpus esse peccato deprauata, esse rea & damnata, nisi per Christum fiat regeneratio, recte dicitur. Sed inde non procedit: Ergo peccatum est substantia.

220. Nec valet, Cor facit peccata, seu ex corde scaturiunt peccata. Ergo peccatum est ipsummet cor.

221. Nam cor quia vitiatum est, talia operatur, perinde ut horologium corruptum, male horas dimetitur, aut fistulae in organis vitiatae, pro suaui sono insuauiter vluant. Quamuis ne calumniae locus detur, hominis corruptio sit multo maior & horribilior, quam verbis explicari possit.

222. Nec istud cauium habet locum, Accidens est, quod citra subiecti corruptionem adesse vel abesse potest. At peccatum non potest sine corruptione subiecti adesse.

223. Nam est fallacia secundum non causam, ex non ple-

plena definitione. Nam accidens etiam vocatur id, quod mutabiliter inest. Esse autem peccatum originis separabile malum, supra est explicatum.

224. Nec sufficit ille prætextus, extenuari à quibusdam peccatum originis, ideò grauitè de eo loquendum esse.

225. Nam reprehendenda est extenuatio mali originalis, non autem sunt noua & falsa dogmata in Ecclesiam Christi ferenda. Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

226. Ac nulla necessitas cogit, monstrosas illas propositiones gignere, & potest Ecclesia Christi sine eis hanc doctrinam rectè, verè & grauitè explicare, ita vt vtriusq; scopuli, nempe defectus & excessus, solerter & prouidè vitentur.

227. Quapropter hoc nouum dogma: Peccatum originis est substantia, vel est ipsamet anima, vel est cor, ex agro Domini exterminandum est, quia neq; verbum Dei, neq; vetus Ecclesia, neq; Lutherus, neq; Confessio Augustana, sic docent, imò contra docent.

Δόξα τῷ θεῷ.





Aug. VI 63

ULB Halle

3

003 877 892



Sb.









5

PROPOSITIONES  
DE PECCATO.

De quibus disputabitur in Academia Ienensi,  
loco & tempore solito.

A

D. IOHAN. VVIGANDO.



I E N A E  
Excusa per Donatum Ritzenhain.  
Anno 1570.

